

FUNDAMENTVM

V. Credibile tamen est & minimè absurdum, imò ipsi rationi ac naturæ consentaneum, longè ultra stellas fixas aërem extensum atq; expansum fore: ideoq; & ipsas stellas fixas tanquam Cyclades, per aut infinitum aut longè alterius extensum aëra sparsas, existere: ipsasq; stellas minimè ideo fixas esse dictas, quòd scilicet firmamento alicui, vt fingunt, ceu concamerato cuidam vel spherico pauimento inhereant, vel eidem impressæ & quasi insculptæ sint: Verùm ob id magis, quòd nimirùm semper, perq; omnia, vt testatur obseruatio, seculis, eosdam suos obtineant situs, paremque inter se ab inuicem distantiam.

VI. Corpus Mundanum est substantia suâ ipsius vi in aëre pendens: vt sunt stellæ fixæ, planeta, sol, luna, terra, vnà cum aquâ.

VII. Terra est corpus Mundanum, interq; omnia Mundana corpora medium obtinens locum, inq; medio omnium existens, ex puluere & humore conglobatum, atq; humiditandi vi coherens: solisq; immisso atq; accepto haustoq; colore singulis annis reuirescens, & tanquã solaribus imprægnata seu grauida facta radijs, conceptos atq; editos suos fructus partusq; tanquã clementissima omnium viuentium parens, & quasi naturæ luxuriantis opus, quotannis nobis clementissimè elargiens atq; communicans: cuius Cauerna humorum collectionibus repleta sunt, quæ aquæ dicuntur. Ideoq; ipsa aqua tanquam aliqua particula terreni globi existens, vnà cum ipsâ terrâ vnum rotundum sphericum seu globosum corpus efficit, constituitq;.

VIII. Tria itaq; in rerum naturâ, quasi prima principia & Elementa, quæ attingere sensibusq; apprehendere possumus, mihi existere videtur: nimirùm aër seu liquidum, aqua seu humidum, & terra seu densum. Suntq; horum trium diuersæ qualitates inter se adinuicem in tali quadam naturali proportione, ita vt equè ac sit aër seu liquidum suâ (vt ita dicam) liquiditate ad aquam seu humidum, ita sit aqua seu humidum (tanquã medium quoddam proportionale inter duo extrema) suâ humiditate ad terram seu densum in suâ densitate. Atq; hæc est horum quasi mutua quedam ad se inuicem proportio in eorundem qualitate: in eorum verò quantitate eorundem proportionem aut ob aëris infinitatem nullam fore credimus, aut propter eiusdem (aëris) nimiam amplitudinem atq; incompertam magnitudinem ignoramus.

IX. De reliquorum corporum Mundanorum Essentiâ, qualitate ac materiâ, nihil quidem mortalibus constat, nisi quòd ignita nobis intuentibus appareant. Atq; hinc illa physicorum fabula, seu fabulosa potiùs opinio atq; superstitio de igne cœlesti seu Elementari originem duxisse videtur. De igni verò materiali, deq; flammâ: fumo, vapore, alijsq; exhalationibus, non est huius loci dicere. Ideoq; hæctenus de aëre inq; aëre pendentibus corporibus Mundanis: sequitur eorundem Mundanorum corporum distinctio.

X. Corpora Mundana sunt aut mobilia aut immobilia.

XI. Corpora mobilia sunt, quæ perpetuo semperq; regulari atq; equali existente motu per aëra reuoluuntur, semperq; in idem ex quo egressa sunt punctum, post exactam perfectamq; atq; absolutam reuolutionem regrediuntur, adq; eundem eorum periodum seu vestigiorum terminum reuertuntur. Ideoq; eandem semper periodum suis motibus per aëra reuoluta describunt.

XII. Cor-